DE MORTE RECENS NATORUM PUTATIVA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ROBERTUS THEODORUS WOLFF
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
GUIL. FRIEDLAENDER, med. et chir. Dr.
LUD. DE GARSSEN, med. et chir. Cand.
LUD. ALBERTI, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

4
5.
6, O

VIRO

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO

ED. MITSCHERLICH,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA REGIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, BORUSSORUN REGI A CONSILIIS REI MEDICAE INTIMIS, ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA CUM LEMNISCO ALIORUMQUE ORDINUM EQUITI, SOCIETATUM LITTERARIARUM COMPLURIUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI AC FAUTORI

DILECTISSIMO, HUMANISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Foetus ad plantarum rationem vegetus tantum corpore materno utitur, unde nutrimenta ad crescendum necessaria sumat actis quodammodo radicibus. Quo tempore autem alendo corpori suo par factus est ipse, eo a matre sejungi solet, si quidem solitas leges natura sequitur.

Quo facto organa, quae respirationi praesunt, antea minime actuosa, agere incipiunt. At unde primum hujus actionis incitamentum? Haec quaestio quum omnibus temporibus physiologorum animos medicorumque occuparet, fieri non potuit, quin sententiae hac de re et multae et variae in lucem producerentur. Omissis vero vagis et ridiculis nos, quae maxime consentaneae nobis videantur, allegare malemus quam novam excogitare. Fuerunt enim, qui causam primi spiritus indagari posse negarent, eundem rati, quo mammam infans sugat, instinctum primam actionem inspirationis muscularem incitare (1). Alii, quorum principem Joannem Müller (2)

---

(1) Medicinisches Realwörterbuch, herausgegeben von Pierer u. Choulant. 1825. Bd. VI. pag. 881.

(2) Joh. Müller, Handbuch der Physiologie des Menschen. Coblenz 1840. Bd. II. pag. 76.

uominaverim, causam primae respirationis neque in pulmonibus neque in nervis periphericis aëre irritatis ponunt; sed illi auctori propter pericula in ranis potissimum instituta assentiuntur, sanguinem aëre in pulmones post partum ingresso arteriosi naturam adeptum, cordis ope ad medullam oblongatam, qui fons est respirationis et initurae et durantis gravissimus, cito perlatum pro primo spiritum ducendi incitamento habendum esse (1).

Sin ullum eorum, quae ad respirationem producendam necessaria sunt, momentum aut deest aliquamdiu post partum aut justo debilius exsistit, conditio exoritur, quam asphyxiam nuncupare solent. Quae licet nonnunquam simillima sit morti, neque exstet signum, unde ab illa dignosci possit, tamen putativa tantum quum in favorem infantis parentumque, tum propterea arbitranda est, quia in vitam ipsam redire illam haud raro secundum experientiam frequentissimam pro certo exploratoque ducendum est. Unde sequitur, ut asphyxia in genere haberi debeat pro vita latente ex respiratione undecunque vel parum laeta vel perquam desiderata. Quae rei definiendae ratio etsi nec ab omnibus numeris absoluta est, et

---

(1) Jam vero infans, ubi perfecte potest spirare, vagit fere, quoniam aër, lux, injuriae, quas inter partum perpetitur, irritamenta ei sunt et nova ingrata. Itaque in utero quoque spirare vagireque foetus, quamquam rarissime, dicitur (vagitus uterinus), id quod exsistere non potest, nisi ruptis velamentis effluxit liquor amnii, vagina et multiparae et justo magis amplificata, doloribus omnino absentibus, genitalibus neque per vestimenta neque stragula obtectis, facie infantis ita posita, ut aër facili negotio transmeare possit in os naresve. Qui vagitus quum saepius etiam audiatur solo infantis capite e vagina jam propulso, tum inepte uterinus vocatur.

adversariis satis pateat, vitia sanguinis circulum prohibitura, cerebrive facultatum obstacula subesse posse asphyxiae objecturis, nobis sat est a vero non abhorruisse et conjecturarum loco vanarum posuisse, quae ad usum practicum maxime quadrant.

Notione asphyxiae exposita opus est, mortis signa eruamus, quae quamquam singula sunt fallacissima, tamen maximi facienda sunt, si quidem complura simul suppetunt, vitae notis solitis simul prorsus desideratis. Distinguuntur autem symptomata in classes tres:

1) Quae foetum jam intra uterum defunctum esse indicent; quo spectant

a) Motus foetalis cessans, sonus cordis non amplius audiendus, siquidem antea quam maxime fuit validus.

b) Sensatio, quae paulo post sequitur, molestissima gravedinis cujusdam in abdomine sitae ejusque in utroque latere obortae, cui gravida incumbit.

c) Uterus indeque abdomen non amplius increscens, contra justo demissior et frigescens.

d) Decrementum et relaxatio aeque ac temperies mammarum diminuta.

e) Horripilatio hinc inde repetita, lipothymia, anorexia, gustus putridus.

At quae hucusque attuli signa, pro fallacibus habenda sunt propterea, quod foetus, nullo eorum non praesente, vivit interdum, quum demortuo isto ne unum quidem indiciorum illorum observetur quandoque.

2) Quae signa inter partum foetum de vita excessisse praedicent, haecce sunt:

a) Effluvium liquoris amnii et foetidi et decoloris una cum meconio commisti.

b) Odor ex genitalibus mulieris parturientis proveniens quam maxime graveolens.

3) Quae infantem ex utero projectam vita carere produnt, sunt eadem et asphyxiae propria et incerta proinde; attamen quibus majorem fidem habeas, non desunt, unde putredinem incepisse colligi licet.

a) Abdomen inflatum decolor.

b) Maculae super corporis superficiem dispersae fuscae.

c) Liquor ex ore nasove profluens ingratissime olens.

d) Odor totius corporis putridus.

e) Cornea nec pellucida et justo humilior.

f) Cutis imprimis abdominis a partibus inferioribus resoluta; quam cave ne pluris aestimes, quippe Fleischmann, Naegele, Millot vivas viderunt infantes recens natas, quarum cutis universa retrahi potuit facili negotio, quae sequela fuit liquoris amnii acris, caustici in totam corporis superficiem agentis (1). Pemphigus quoque a Carus observatus (2) in recens natis efficit, ut epidermidis partes aliquae releventur, quod idem erroribus locum dare potest. Utrumque vero, cujus Neufeldt mentionem facit (3), exanthema, herpes purulentus, erysipelas gangraenosum, nescio num revera ad confusionem hujusmodi apta sint, quum neutiquam invenerim alterum eorum jam partu vix perfecto exsistere, contra ery-

---

(1) Meiſsner, Forschungen im Gebiete der Geburtshülfe. Th. VI. pag. 130.

(2) Schönlein, allgemeine und specielle Pathologie und Therapie. 1839. Bd. II. pag. 275.

(3) Neufeldt, dissertatio inaug. de asphyxia recensnatorum. Gryphiae 1823.

sipelas neonatorum circa diem quintum sextumve post partum prosiliat (1).

Jam enucleata asphyxiae notione restat, ut, quae singulae ejus species vulgo exhibeantur, paulo accuratius recensitas ad ordinem certum quendam digestas enumeremus. Sunt enim generatim receptae et probatae viris doctis hae tres asphyxiae species: asphyxia suffocatoria, apoplectica, nervosa.

A. ASPHYXIA SUFFOCATORIA.

Denominatio, quam ex plurimorum auctorum ratione retinuimus, »asphyxia suffocatoria», licet nequaquam congruat omnibus iis conditionibus, quae nomine illo significari solent, (si modo solitam ejus vim servare mavis) usurpatur, ubicunque foetus expulsi respiratio aut omnino desideratur, aut aliquantulo temporis interjecto iteratur vel spastica vel stertorosa. Quae rei explicandae ratio quum latius patere nobis videatur, quam quae usui sit undique laudabili, eo restringendam esse censemus suffocatoriam, quam dicunt, asphyxiam, ut nihil aliud designet nisi respirationem indeque vitam ex obstaculis deficientem aut mechanicis, aut organicis organorum respirationis, aut dynamicis. Namque sat luculenter apparet inopiam respirationis aeque proficisci posse e morbis pulmonum atque cerebri alienationibus. Nomen igitur illud nisi finibus hisce circumsepimus, fieri non potest, quin singulae asphyxiae species inter se confusae pravis curandi rationibus copiam suppeditent,

---

(1) Schönlein, l. c. Bd. II. pag. 221.

quandoquidem respirationem pro primo vitae aut excitandae aut sustentandae momento habendam esse omnes uno ore contestantur.

Jam constituta, quae ad indolem asphyxiae suffocatoriae percipiendam maxime necessaria nobis visa est, causa proxima, transeamus ad remotas.

1) Inter impedimenta dynamica praecipue memoria dignus est spasmus glottidis, quem aëre aut nimis frigido aut materie aliena quadam inquinato provocari posse et per se liquet et experientia virorum artis obstetriciae peritissimorum comprobatum est (1).

2) Ad causas mechanicas nobis referenda

a) Oppletio oris, tracheae, bronchiorum, pulmonum per mucum, liquorem amnii, sanguinem effecta.

b) Lingua tumefacta radicem versus resupina et in gulam revoluta.

c) Compressio thoracis partui obnoxia tanta, ut respirationis initium, si modo ante foetum prorsus ejectum jam adfuit, rursus intercipiatur.

3) Ne incipiat respiratio, arcere possunt denique

a) Morbi pulmonum organici, verbi causa tuberculosis, alia.

b) Organa respirationis parum, aut in alienam rationem evoluta.

c) Vitia glandulae Thymi.

---

(1) Num paralysis glottidis causam quandoque praebeat respirationis sublatae, experti quidem non sumus, neque in libris invenimus, quae nobis ad manum sunt; attamen quae ex laryngismo stridulo proficisci solent symptomata, certe idonea sunt, unde fieri posse hujusmodi aliquid apud infantes recens genitas nostro jure conjiciamus.

Symptomata.

Respiratio aut omnino deest, aut diutinis temporis intervallis post repetitus stertorosa vel spastica. Cutis est livida vel pallet, id quod rarius accidit; facies rubra fere tumet, dum oculi prominent, labia livescunt, spuma sanguinolenta ori insidet, artus tono normali fere non carent.

B. ASPHYXIA APOPLECTICA.

Asphyxia apoplectica vulgo evenit, si oppletio vasorum cerebri apud infantes et robustas et sanguine abundantes causa aliqua remota efficitur. Sunt vero causae occasionales, quaecunque circulo sanguinis foetali perturbato in cerebro congeriem ejus sublevant. Huc referenda sunt:

1) Plethora, quae sola, infantibus ceteroquin sanis, partu undique regulari, asphyxiam num afferre possit, admodum nos dubitamus.

2) Frigus, pro temperie foetus nimium, quum tamdiu vim agit in partes ejus periphericas, ut sanguis inde ad centra repellatur.

3) Partus nimis diuturnus eo potissimum vitam foetalem infestare solet, quod circulo sanguinis inter matrem foetumque alienato sanguis foetalis, ne fluat ratione solita, impeditur.

4) Partus justo celerior, quem utrum eadem de causa, quam proxime allegavimus, foetum offendat necne nos ignorare libere confitemur.

5) Quae fere frequentissime asphyxiam apoplecticam

procreat, haec est pressio aut partium singularum capitis potissimum, aut corporis totius. Quum vero conditiones, quibus foetus comprimi possit, admodum varientur, necesse nobis videtur, singulas illas et in ordinem certum dispositas enumeremus.

a) Ubicunque liquor amnii praemature emanat nec paulo post partui finis fit, foetus contractionibus uteri sat vehementibus vel spasticis tantopere coarctatur quandoque, ut sanguis amplius fluere nequeat.

b) Caput ante omnia pressione graviter afficitur, quum aliquamdiu in pelvi minore intrusum persistit, aut forcipis applicatione constringitur, aut brachio prolapso spatium nimis diminuitur. Nec aliter rem sese habere, si caput foetus partu agrippino medicis promovendum diutius remanet, liquide apparet.

c) Vasa sanguifera colli majora premuntur

α) funiculo umbilicali, si modo collum infantis ut laqueo circumdatur;

β) collum infantis si contractione orificii uterini, aut introitus vaginae spastica offenditur, capite jam expulso.

Conditionibus, quas modo citavimus, gravius comprimuntur venae jugulares internae quam arteria carotis, ut quae parietibus prae illis crassioribus pressioni magis resistat. Unde fit, ut refluxu sanguinis ex cerebro, pro reditu nimis prohibito, vasa cerebri nimia sanguinis copia impleantur, rupturaeque eorum locus detur nonnunquam.

6) Denique huc spectare dicuntur constrictio funiculi umbilicalis praemature facta et sejunctio placentae, antequam mater foetum enixa sit.

Symptomata.

Qui infantes hac asphyxiae specie laborant, cute livida, livido-fusca induti sunt, facie tumefacta, oculis protrusis, lingua crassa rigida. Ictus cordis aut abest omnino, aut raro irregulariter percipitur, dum funiculus umbilicalis adhuc pulsat interdum; motibus ita haud destituuntur infantes, imo corpus earum in temporis spatium sat protractum calet. Sin ex statu, quem descripsimus, in integrum non regrediuntur, facies sensim pallescit, livida circum os nasumque apparent lineamenta.

C. ASPHYXIA NERVOSA.

Asphyxia nervosa semper quamquam proficiscitur a vi vitali justo magis demissa, aut manca functionum organismi virtute, tamen causae remotae et diversae esse et matri aeque ac foetui inhaerere possunt.

1) Numero illarum accensendae videntur hae:

a) Debilitas materna tanti esse solet ad foetus sanitatem, ut mulieres erethismo, debilitate majore laborantes, partus nunquam edant vi vitali fere non destitutos.

b) Vi in foetus valetudinem constituendam haud minore est penuria actionis, quae graviditatis normalis propria esse debet, sive uterus tardius atque segnius evolvitur, sive deficiunt momenta ad justam ovi indolem necessaria. Utrinque enim infirmitate foetus producta haec asphyxiae species exoritur.

c) Res adversae, in quibus mater inter graviditatis

tempus versabatur, tantum valent ad vitam foetus coercendam, ut quae feminae aegritudine, curis, inopia rerum necessariarum premantur, aut terrore inopinato incedantur, morti foetus putativae copiam faciant haud raro.

d) Effectus idem progreditur ex morbis, quibus mater conflictatur gravida; huc spectant potissimum dyscrasiae, inflammationes acutae, vehementes, febris intermittens, vel spasmi, siquidem inter partum eam superveniunt, lipothymia, asphyxia, mors ipsa.

e) Impetus, qui viam echanica matrem invadunt, sicuti ictus, casus, alia, eo potissimum periculosa redduntur foetui, quod placenta ab utero maturius divellitur.

f) Haemorrhagiae matris.

2) Foetui causa asphyxiae inesse potest.

a) Si quidem organa ad vitam degendam necessaria vitio quodam eoque gravi affecta sunt.

b) Placenta ubicunque peccat sive ad structuram sive sedem conjunctionemve cum utero ineundam.

c) Funiculus umbilicalis in causa est, quum a norma ita alienatur, ut alendo foetui impar fiat.

3) Missa matris foetusque in asphyxiam nervosam progignendam ratione, jam partum ipsum respiciamus, et videamus, quanam ea, quae vel inter eum vel post ejus absolutionem fiant, in vitam foetus pro tempore exstinguendam efficacia sint.

a) Nimia partus diuturnitas tum potissimum asphyxiae procreandae inservit, quum foetus jam antea sanguinis nimis inopes erant.

b) Partum justo celeriorem, quem eundem multum no-

cere dicunt auctores, num revera nervosae asphyxiae causam praebeat, disceptare nos dubitamus.

c) Funiculus umbilicalis nimis constrictus eo vitam foetus affligere potest, quod sanguinis circulus, ne rite fiat, inde arcetur. Fieri enim non potest, quin vena umbilicali, quae sanguinem ex placenta ad foetum reducat, compressa sanguis, quominus transeat, inhibeatur, dum una per arterias umbilicales compressu difficiliores aliqua ejus copia corpus foetale relinquere potest, unde, nimia sanguinis penuria, asphyxiam originem ducere necesse est.

d) Diruptio funiculi umbilicalis vel placentae, placenta praevia, eadem ratione ac antea commemoravi effectum noxium provocat.

e) Tantidem est nimia sanguinis jactura ex funiculo umbilicali facta.

f) Extensio medullae spinalis, quae extractione infantum accidit nonnunquam, asphyxiae nervosae subesse traditur a viris quibusdam rei obstetriciae deditis.

g) Denique memoria dignum est, foetus quum ante diem a natura constitutum in lucem proditos morte putativa correptos fere apparere, tum eos, qui alia quadam asphyxiae specie affecti essent, paulo antequam moriantur, nervosam subire solitos esse.

Symptomata.

Qui infantes nervosa asphyxia laborant, excellunt cute pallida, artubus flaccidis, pendulis, maxilla inferiore a superiore repressa. Oculi eorum palpebris velantur, dum respiratio perquam deest, aut interdum spasticam imitatur ita, ut thorax subito et inexspectato tollatur.

Ictus cordis, funiculi umbilicalis aut sentiri nequit, aut magna est debilitate irregularitateve. Sphincter ani tantopere quandoque resolutus est, ut meconium inde prodeat.

Prognosis.

Indicium de vita recuperanda faciendum minus pendet a diversa asphyxiae specie causisve, quam unum fere tempus, ex quo conditio illa duravit, et constitutio infantis respicienda est. Ergo prognosis eo pejor pronuntianda, quo diutius asphyxia jam perstitit. Signa fausti ominis habenda sunt in genere haec: rubor super cutem pallidam inter foetum lavandum sensim diffusus, lividus faciei color gradatim evanescens, decrementum flaccitatis extremitatum, relevatio palpebrae superioris, suspiria per aërem in pulmones penetrantem excitata, vagitus inter repressionem aëris per glottidem promissi, motus digitorum titillatione plantarum producti, ictus cordis vehementior factus, appressio radicis linguae palatum versus obvia, sphincter ani denuo contractus. Causarum habita ratione praesagium melius prodi licet, ubicunque removeri possunt, quum mors fere non fugatur, ubi res aliter sese habent. Nam etsi cura quam maxime assidua negari non potest vitam aliquamdiu etiam tunc resuscitari posse quandoque, tamen causa non funditus rejecta infantes paulo post emorientur.

Quod ad singulas species asphyxiae pertinet, suffocatoria, ceteris paribus, ut causae fugari possint, augurium quam laetissimum exhibet. Asphyxia nervosa quum vitae in integrum restituendae omnino minus faveat, tum causae, aut inter partum aut post praesentes, auspicia

secundiora admittunt, quam quae aut a matre jam aut indole foetus morbosa prodierunt. Asphyxia apoplectica, quando pressione externa est, lentius agente meliorem prognosin constitui licet, quam quae repentinam secuta est.

Curatio.

Cura asphyxiae ut indicationibus justis respondeat necesse est, utrum mors ipsa an putativa, quaenam hujus species, quibus causis enata sit, diligenter inquiramus.

Verum enim vero quum prima, quam posuimus, quaestio ante omnia dijudicanda videatur, a regulis quibusdam initium faciamus, quae ad asphyxiam tractandam in genere pertinent:

1) Infans quaecunque expers consuetorum vitae signorum neque, vero praedita notis putredinis, quum pro asphyctica existimanda sit, nullo temporis spatio interjecto ab usu remediorum resuscitantium initium fieri oportet.

2) Conamina in vitam restituendam impensa ex consilio certo quodam et definito absque omni turbulentia exercenda, neque prius omittenda sunt, quam bihorio elapso nulla vitae indicia in conspectum venerint.

3) Cura illa incipiatur a remediis lenioribus, unde sensim transeat ad fortiora.

4) Medicamine quodam applicato aliquamdiu quiescat infans necesse est, priusquam proximo utamur.

5) Conatus vitae revocandae quum frustra fuerunt, nihilominus observetur infans aliquamdiu in loco satis calido repositus.

6) Omnia vitae rediturae signa, ubi intraverunt, reme-

dia proxime administrata tempus aliquod quamquam minore modo continuentur, neve finiantur, antequam respiratio penitus facta sit regularis.

7) Spiritus quum perfecte ducitur, tum funiculus umbilicalis ligatura ambiendus est dissecandus cautione assidue servata, ne ligatura dissolvatur.

Ubi ex symptomatibus, quae supra laudavimus, suffocatoriam adesse, innotuit, ante omnia indagandum est, num organa respirationis obturamento aliquo aëri occlusa sint, digitoque in os immisso remotio ejus tentanda est. Persaepe enim accidit, ut respirationis initium desideratum intret remoto muco in faucibus congesto, lingua in situm normalem revoluta. Spiritus si paulo post non ducitur, nec colore livido cutis infantis non superfusa est, sanguinis missio ex vena umbilicali instituenda est. Illa curandi ratione ubicunque vita non revocatur, quae remedia postea ad eam suscitandam adjiciemus necessaria, sine mora deinceps in usum vocanda sunt.

Sin e statu quodam apoplectico asphyxia originem ducit, vena umbilicalis confestim incidenda sanguinisque copia cochlearium majorum duorum evacuanda est. Quae sola res nonnunquam ipsam mortem defendere valet. Attamen praeter exspectationem si cedat res, reliqua resuscitationis remedia adhibeantur.

Quum nervosae apoplexiae symptomata in conspectum veniunt, caveas funiculum umbilicalem disseces, sed medicaminibus potius stimulantibus vitam restituere coneris. Sunt enim, quae quum ad nervosam asphyxiam rejiciendam, tum ad reliquos, jam administrata, quam supra in utraque commendavimus, sanguinis depletione, haec:

1) Verberentur compluries manus palma nates infantis, quo contigit interdum in nervosa potissimum asphyxia, ut vita latens quodammodo appareat nulla mora. Apoplectica autem vel suffocatoria praesente haec animadvertendi ratio majore praecautione instituenda est; itaque verbera ne sint aeque vehementia neve cnntinuentur, postquam pauxillo temporis elapso utilitatem nullam praestiterint.

2) Missis plagis inanibus scilicet universa corporis infantilis superficies verratur aut volae ope aut scopulae setosae. Sin irritatio inde orta justo minor est, una pectori abdominique aqua frigida, vinum, naphtha adspergatur, aut olfactum excitare simul conemini aptis medicaminibus sub nares admotis, aut nervi vagi, glossopharyngei ramos stimulo quodam, verbi causa penna in regionem faucium inducta, adeamus, aut nervi cutanei denique frictione spiritus frumenti incitentur. Neque vero commodum aliquod exspectandum ex remediis illis per breve tempus applicatis, imo suo quodque loco adhibeatur et quam diutissime fieri potest continuetur.

3) Fructum vero si captum iri ex istis non verisimile est, clysteres ordinentur ex aqua frigida cum vino mixta vel infuso florum chamomillae parati.

4) Ceterum non praetereundus est balnei tepidi usus, in quo infans quam celerrime postquam natus est, lavetur, et quae supra allegavimus medicamina applicanda sunt. Quam curam quum ad diversas conditiones reddi diversam necesse sit, quae respicienda videantur, singillatim referamus:

a) Funiculus umbilicalis ubi ante lavacrum non dissectus est, dolium balneare inter crura materna po-

natur, neve placenta dissolvatur ante balneum perfectum. Cui rei peragendae si funiculus umbilicalis brevior est, Mende (1) suadet, ut et infans et funiculus umbilicalis velamentis madidis calidisque vestiantur, temperie illorum, ne gradibus 28 — 29° Reaum. inferior sit, prohibita assidue. Quae ut retineatur, linteum corporis circumdari altero, eoque gradibus aliquot calidiore, frigescenti vero cuique novum indolis, quam supra diximus, aptae substitui oportet, corpore infantis non denudato.

b) Calorem àquae balnearis, cui Mende auctore guttae nonnullae olei rorismarini, aut spiritus frumenti copia aliqua adjiciatur, diversum fieri necesse est, asphyxia diversa. Etenim ubi suffocatoriae vel apoplecticae prae se fert ingenium aqua ad gradus 27 — 28° Reaum. calefacta sufficit, quum liceat ad profligandam nervosam eam gradus 30° Reaum. tenere vel excedere aliquantulum.

c) Tempus lavando infanti constitutum cave ne diutius protrahatur, quandoquidem pressione aquae motus thoracis inspiratorios coerceri, respirationemque incepturam facile perturbari constat. Itaque conducit, infantem per sexagesimam aut tricesimam horae partem inter luendum perfricatum tolli ex balneo, atque hanc agendi rationem repeti compluries (2).

---

(1) Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde. Herausgeg. von Busch, Mende und Ritgen. Bd. III. pag. 468.

(2) Wigand (Loders Journal für Chirurgie und Geburtshülfe) usui esse arbitratur motum infantis per aquam balnearem satis celerem, nec consentaneum esse proposito negat, infantem, ex aqua subito aëri frigido exponi et vice versa balneo imbui.

5) Infans es balneo sumta in aëre agitetur, donec aqua reddatur. Quibus agitationibus ut simul afflatus aëris faciem versus directi adjungantur, imo ut prope fenestram apertam perficiantur, suadet Rosshirt.

6) Aer per os naresve inflandus commendatur a Froriep, Fleisch, Henke, Wendt, Mende, Herholdt, aliis; rejicitur ab Rosshirt, Albert, Leroi d'Etiolles, Magendie, Dumeril, qui periculis factis in animalibus vel hominibus mortuis diruptas vesiculas pulmonales animadverterunt (1). Busch vero et Moser auctoribus (2) aër inflatus nunquam nocuit, nisi forte illo tantummodo pulmones tangendos esse obliviscamur. Verumenimvero summo jure contendi licet irritationem, quae per aërem fit, in pulmones vel laryngem quum validissimam esse omnino, tum sufficere quandoque actioni respirationis incitandae. Jam vero quamquam aër inflatus maximi aestimandus prae reliquis mortem putativam impugnandi rationibus, ne unquam tamen inspiretur, donec infans conatus ipsa faciat spiritum ducendi; imo tum demum haecce curandi via sequenda est, quum et reliqua resuscitationis medicamina irrita sese praebuerint, nec ulla appareat respiratio spontanea.

Quod ad ipsam aëris inspirandi methodum pertinet alii etiam praestantiorem esse arbitrati sunt. Simplicissima vero facillimaque inter omnes ea est, ut inspirator ore ad os infantile apposito aërem promittat. Inspiratione hujusmodi compluries repetita, si mucus ex naso non amplius proveniat, naribus digitorum ope compres-

---

(1) Meissner, t. c. Th. VI. pag. 132.

(2) Busch und Moser, Handbuch der Geburtskunde. Berlin 1840. Bd. I. pag, 220.

sis, larynx infantis per pollicem manus, quae cervicem sustinere solet capitis fere resupini, pressione admodum leni irritetur, ne qui cavum oris aër intraverit, per fauces ad ventriculum fortasse meaturus, tracheam praetereat. Ceterum necesse est, aëris inspiratio aliquoties fiat deinceps et iteretur intervallo horae partis duodecimae vel vicesimae quartae interjecto. Post singulas aëris inspirationes thoracem manu, quae naribus obturandis fuit, a regione anteriore posteriorem versus iisque vicibus in tempus repetitis premendum, laryngem a pollice manus alterius liberandum censent viri docti quidam, artificio isto naturalem spiritus ducendi viam imitaturi, quamquam ignaros hac ipsa re sese praestitisse videntur, vanam esse aëris in pulmonibus accumulationem circulo sanguinis non effecto. Majore certe ingenio eoque ad leges physices accommodato Dalziel, medicus Scoticus, recentissimis demum diebus apparatum invenit, quo corpus, excepto capite, in spatio versetur aëris fere inope. Quod ut efficiatur, corpus infantile cistula circumdatur aëri impervia, quae et collo infantis arcte alligata et in superiore parte antlia instructa est, qualis assugendo aëri esse solet. Pistillo illius sublato spatium inter corpus infantile et cistulam aëre fere privatus, dum aër in pulmones penetrans thoracem extendit, exspiratione per pistillum depressum posthac effecta. Modus, quem proxime explicavimus agendi vi tanta fuit in homines emortuos, ut motus ad spiritum ducendum inde exorti ad labia nasumque luculenter apparerent, imo lucerna naribus vicina facile extingueretur (1).

---

(1) Froriep's Notizen. Juli 1841.

Ad inflandum aërem instrumenta nonnulla inventa sunt ab iis, qui per curandi quam modo descripsimus rationem aërem facile ad ventriculum pervenire posse rati sunt, id quod cautelis, quas supra monuimus, ne fiat, non omissis revera non timendum est. Chaussier (1) verbi causa timore ductus, ne viam illam aër ingrediatur alienam, tubulum excogitavit argento elaborandum, qui in superiore parte amplior quam in inferiore, arcuatus est ad infimum quadrantem. Finis inferior clausus latus est potius quam rotundus et in latere utroque foraminibus instructus. Ante curvaturam quam supra diximus annulus affixus est, cui spongiola assidet glottidem opertura, postquam tubulus infimus ductus est sub glottidem. Evrat tubulo usus est ex resina elastica confecto. Blundell tubulo argenteo catheteri simili. Reisinger (2) construxit instrumentum, quo pulmones infantis asphycticae torpidos expleat aëre magis excitante vel oxygenii pleniore, quam quae ab hominibus eaque obstetrice vetula exscreata est. Instrumentum illud receptaculum adaequat pyxiforme, quod in siphonem tenuem transituram in tota parte superiore spongiam continet perquam perforatam canali, qui ad inferiorem receptaculi illius partem attingit. Spongia illa aceto vini vel remediis volatilibus, veluti liquore ammonii caustici, ut humectetur suadet auctor, quo aër inspiratus remediis illis volatilibus una impleatur. Quod quamvis fieri possit, magnopere tamen haesitamus, num aër inde oxygenii copiam amplectatur majorem, curatione ab inventore praecepta, et utilitas aliqua afferatur, an noceatur omnino.

(1) Meißner l. c. Th. III. p. 105.

(2) Reisinger, die künstliche Frühgeburt. 1820. pag. 111.

Alii auctores aëris inspirationem quum omnino rejiciunt, tum despiciunt usum tubuli, quoniam qui ex ore aër expellatur inspirationi inepta sit. Verum tamen ex periculis ab Herholdt institutis elucet aërem inspiratum non differre ab eodem paulo post scilicet exspirato, nisi inopia partis centesimae oxygenii prae aëre atmosphaerico. Reperit igitur Gorcy, permotus opinione illa, apparatum folliculo similem, quo aër pulmonibus adducatur per siphonem. Quin oxygenium ipsum per instrumentum illud ex vesica suilla inflandum curavit Levreton. Rondet, obstetrix, apparatum praedicavit ex tubulo a Chaussier invento compositum lagenaque ex resina elastica parata aëris plena, unde aër ille per siphonem in tracheam transferatur (1).

Sed nullis hujusmodi instrumentis effici potest, ut aër sit temperie apta, nec justo majore vehementia ingrediatur. At purum oxygenium pérquam rejici debet propter indolem pro pulmonibus teneris nimis irritantem.

7) Omnibus vero praestat medicaminibus, quod jam diu contra asphyxiam recens natorum summo cum eventu in usum vocatum est, frigus, aqua frigida imprimis. Itaque Hohnbaum celebravit aquam frigidam pectori, faciei adspergendam. Excellentissimum vero effectum animadvertit Wolff de superfusionibus frigidis pariter ac Mende collaudat epithemata super caput facienda frigida, asphyxia apoplectica. Embrocationes frigidas per siphonem ad scrobiculum cordis Henke faciendas curavit, quum de la Fontaine aquam destillat a loco satis alto et Meifsner aethere sulphurico utitur pro aqua fri-

(1) Busch u. Moser, l. c. pag. 222. — Meifsner, l. c. Bd. VI. pag, 132.

gida (1). Latius vero fines frigoris adhuc non patebant, non quo efficacia ejus aliunde non cognita esset, sed quia impetus inde ne major fieret timebatur, tametsi moribus populorum quorundam borealium a metu hujusmodi animus averti poterat. Maximis igitur laudibus efferendus est Schoeller, qui ante annum fere primus fines frigoris proferre conatus est felicissimo cum successu. Quae prima huc pertinet morbi historia, haec est (2): Infans, versionis ope forcipisque protracta, asphyxia nervosa laborans, quum remedia resuscitationis usitatissima frustra essent administrata, nec ullum vitae indicium superesset nisi motus cordis vix dum percipiendus, quum aër per fenestram apertam ingressus, ignis pedes infantis attingens nullam fere mutationem efficeret, nec aër in pulmones inspiratus aliud quidquam procreare posset quam colorem ex albido lividum, hora una semis post partum jam elapsa Schoeller huc nova cura usus est. Infans asphyctica in aqua modioli subito et una vice submergebatur tota praeter os et nares. Unde confestim provecta quum conamen inspirationis tremulae quodammodo appareret, aqua abstersa totum corpus fricabatur, dum scopula setosa verruntur plantae. Quae rerum actio quum ter repetita esset, voce clara, fortissima vagiebat, mammam sugebat paucis horis post, optime posthac valebat. Quo facto compluries Schoellero copia data est curationis illius tentandae contra

---

(1) Meifsner, l. c. Bd. III. pag. 104, Bd. VI. pag. 133. — Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde von Busch, Mende, Ritgen. Bd. III. pag. 507.

(2) Medicinische Zeitung 1841, pag. 79.

asphyxiam nervosam, neque unquam rei eventus spem frustratus est.

Qui modus opitulandi quum adhuc novissimus exsistat, certo multorum intererit, ut, quae semestri proximo in instituto caritatis obstetricio inde profecta sint, in medium proferam emolumenta, quae divulgandi facultatem ab Ill. Kluge mihi concessam esse impense gaudeo. Mulier parturiens, tertio Nonas Aprilis hujus anni in institutum obstetricium recepta, quum propter caput infantis in pelvem minorem cuneatum forcipis ope juvanda esset, nec digitis applicandae forcipis causa in genitalia inductis pulsatio funiculi umbilicalis perciperetur, et infans speciem apoplexiae prae se ferens cochlearia duo fere sanguinis ex funiculo umbilicali perdidisset, quam celerrime lavabatur corpus balneo calido et remedia resuscitationis solita deinceps praecipiebantur. Neque tamen contigit, ut vita redintegraretur motibus corporis per ictus ad nates, per aëris inspirationem, oscillationes infantis in aëre factas, embrocationes frigidas per siphonem in scrobiculum cordis applicatas, quum repente ex usu ad Schoelleri rationem facto atque prima immersione instituta oculos infans jam movebat, levata palpebra superiore; quin vagitura paulo post ducebat periculo isto ter repetito perfectum, regularem spiritum, vocem edebat claram fortissimamque. Atque idem, quem modo commemoravimus curationis laudatae effectum, fuit in quatuor infantibus aliis cum asphyxia apoplectica conflictatis.

Itaque curandi rationem edocti sumus, quae etiam tum faustum eventum efficiat, quum antehac rem bene cessuram vixdum sperare auderemus. Imprimis vero

contra nervosam asphyxiam administranda illa videtur, neque prius in usum vocanda contra apoplecticam quam detractionibus sanguinis e funiculo umbilicali factis, nec respiratio promoveatur remediis excitantibus fere adhibitis, imminente jam asphyxia nervosa.

8) Et electricitas, galvanismus contra asphyxiam praedicatur temporibus recentissimis. Balneum verbi causa commendavit Froriep galvanicum ita instituendum, ut finis alter fili columnae galvanicae adaptati metallici immergatur aquae balneari, infanti lavandae apponatur alter. Auctore ab Herdero sit lavacro chloretum natrii admixtum, finis fili metallici alter cordi, alter plantae pedis columnaeve vertebrarum adpressus necesse est. Eundem usum quum laudaverunt Bremser et Schmidtmüller, tum Gütle invenit machinam electricam portabilem consilio illi consentaneam (1). Attamen Wendt haud injuria censuit (2), neque effectum electricitatis, galvanismi pro teneritate organismi recens nati plane computandum et usum propterea vituperandum esse, missis quas inde profecturas esse medico, familiarum opitulatori, verisimile est difficultatibus.

9) Vehementissimum denique medicamen excitans habenda est combustio plantarum superficialis, effecta prunarum ope (3). Attamen usus ille nedum crudelissimus sit omnium nostris temporibus supervacaneus duci debet propterea potissimum, quia frigore apte administrato successum quam maxime certum exspectari licet. Enu-

(1) Meifsner l. c. Th. III. p. 105.

(2) Joh. Wendt, die Kinderkrankheiten. p. 79.

(3) Lehrbuch der Geburtskunde für die Hebammen in den königl. Preuss. Staaten. 1840. pag. 417.

cleatis, quae memoria dignissima visa sunt, medicaminibus alia quaedam paucis perstringere in animo mihi est, quae utilitate partim carent, partim per alia jam dudum sunt summota. Huic genere adnumeranda sunt:

1) Cucurbitulae siccae, Wagner auctore, musculis pectoris incitandis applicandae. Quo eodem spectat, quod Desormaux praedicavit, sugere mammas infantis.

2) Acupunctura promulgata est ab Antonio Carraro.

3) Transfusio successu cum infausto adhibita est a Dieffenbach.

4) Frictio corporis foliorum ope nicotianae commendata est ab Hildebrand loco clysterum ex nicotiana paratorum, qui antea injiciebantur.

Jam restat, ut quae de cura, quam consecutivam dicere solent, pauca quaedam adjiciam. Sunt enim infantes, quae morte putativa defunctae magna debilitate laborant aliquamdiu, plerumque ex respiratione imperfecta prodeunte. Infantium huiusmodi vox tam tenuis fere est, ut vagitus eorum vix audiatur, suffocatio vero minitetur potaturis. Contra hancce conditionem remedia praecipiuntur a Berend, quae circulum sanguinis sublevatura actionem musculorum excitent, verbi causa fricare corpus vel scopula leniter verrere. Praeterea hoc ex numero sunt, quae systema nervorum raborare feruntur, ut aquae destillatae aromaticae, infusum theiforme cinnamomeum, Moschus in linctus formam redactus. Wendt collaudat hunc in finem inunctiones aromaticas secundum spinam dorsalem et super thoracem faciendas, veluti infusum florum chamomillae, vini copiam satis parcam, linctum emeticum per os injiciendum. Busch

singulis diebus post partum proximis lavacrum suadet, ut instituatur aromaticum atque infans maxima cum industria foveatur.

VITA.

Ego Robertus Theodorus Wolff, confessioni evangelicae addictus, anno millesimo octingentesimo quarto Javoriae, Silesiae urbe, patre Christiano Theophilo, quem jamjam defunctum doleo, matre Carolina e gente Gebauer natus sum et primis litterarum rudimentis imbutus Lyceum, quod tum in patria urbe ductu et auspicio Cel. Fischer florebat, adii ac per sexennium frequentavi. Anno deinde millesimo octingentesimo duodevicesimo ad pharmaciam animum appuli, eique operam annos octo navavi. Quo facto in alma universitate Berolinensi per annum studium in disciplinas pharmaceuticas impendi et praelectionibus beat. Hermbstaedt de physice et pharmacia; Ill. Link de pharmacologia, historia naturali, botanice; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Ill. H. Rose de chemia organica et analytica; Ill. G. Rose de mineralogia interfui, ac pharmaceu-

tarum examine superato approbatus sum. Post per biennium amanuensis vicè functus apud Ill. Mitscherlich, rebus familiaribus domum revocatus non ita multo post officinam pharmaceuticam administrandam suscepi. Cui muneri plures annos praepositus anno millesimo octingentesimo tricesimo septimo Berolinum repetii, medicis studiis operam daturus. Receptus igitur in civium academicorum numerum a rectore magnifico Ill. Heffter, apud Ill. Hecker, gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, nomen professus sum. Ex quo tempore scholas academicas adii simulque privatim litteras scholasticas diligenter colui atque humanioribus disciplinis imbutus in Gymnasio Postampiensi, quod duce Cel. Riegler floret, examen pro maturitate institutum superavi.

Per quadriennium hasce scholas tam philosophicas quam medicas frequentavi: Cel. Hotho de logice et encyclopaedia litterarum philosophicarum; Beat. Wiegmann de zoologia; Cel. Dove de climatologia et atmosphaerologia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae, nec non de pathologia et therapia speciali; Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia; Ill. Mueller de universa corporis humani anatomia, physiologia, anatomia comparata et pathologica; Ill. Kluge de chirurgia generali, akiurgia, de ossibus fractis et luxatis, de arte fascias rite applicandi, de arte obstetricia; Cel. Froriep de akiurgia; Beat. Rust de chirurgia speciali; Ill. Schultz de diaetetice; Cel. Mit-

scherlich de materia medica; Ill. Wagner de politia medica, medicina forensi; Cel. Ideler de anthropologia medica; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Busch de instrumentis obstetriciis. Artem cadavera rite secandi Ill. Mueller et Schlemm me docuerunt.

Exercitationibus clinicis propaedeuticis, medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: Barez, Dieffenbach, Jüngken, Kluge, Osann, Romberg, Schoenlein, Trüstedt, Wagner, Wolff. Quibus omnibus viris honoratissimis optimeque de me meritis, imprimis Ill. Mitscherlich et Ill. Kluge, quorum utrique amanuensem me fuisse magnopere laetor, quas possum maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis, nec non examine rigoroso rite superato, spero fore ut dissertatione et thesibus defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Remedia pharmaceutica quae dicuntur nervina vim nervorum non roborant.
2. Crisis est indicium morbum ad certum quendam evolutionis gradum aut pervenisse aut proxime perventurum, unde in sanitatem transeat.
3. Medicamina pharmaceutica in organismum non agunt nisi chemica ratione.
4. Medicus qui bene purgat bene curat.